



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

2. Saxonis Vt Perhibent Mvnimen Grande.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

# DRIBVRGV M OLIM IBVRGV M APPELLATV M.

**I. SEV ME DRIBVRGV M.** *Driburgi* vocabulum *Iburgo* esse recentius, & *Driburgum* hodiernum *Iburgum* olim appellatum testimonio sunt literæ Bernardi Episcopi Paderbornensis, *de grege ancillarum Dei*, quem in monte *Iborg* collegerat, in locum *Gerdinensem* transmigrante. An. 1136. & ejusdem literæ. de bono in *Erpinctorp* oblato Deo, B. Virginis, S. Petro & Ecclesiae in *Iborg*. An. 1138. & literæ ejusdem. de ancillis Dei, quas in monte *Iborg* collegerat, translatis in *Gerden* An. 1142. datæ. Cujus antiqui monasterij Gerdenam translati vestigia in montis vertice adhuc conspiciuntur. Rationem deinde nominis duabus primis literulis aucti innuit. Gob. Persona. cosmod. Ætat. 6. c. 38.

**2. SAXONIS VT PERHIBENT MVNIMEN GRANDE.** De *Iburgo* silent veteres Francorum Annales. Inter recentiores historicos Ertwinus Ertmannus consul Osnabrugensis in Chron. Osnabrug. MS. hæc memorat. *Tria præcipua & eminentiora castella concordi relatione antiquorum scribuntur*, videlicet in *Herisburch* in *Saxonia Hassionumque situm confinio*, *Sigeburch* quoque super *Ruram* fluvium positum, & nostrum *Iborch* quod ex jucundo situ terrarum egregium fuisse neino est qui dubitet. Contra Gobelinus Persona Ertwino antiquior in Cosmod. Ætat. 6. cap. 38. pag. 188. de *Iburgo* Paderbornensi sic narrat. *Carolus anno regni sui VII. ingressus Saxoniam cuncta devastavit, & castrum Ibrog, quod nos dicimus corrupto nomine Driborg, capit.* Gobelino Cranzius lib. I. Metrop. cap. xi. pag. 24. consentit. *Dedit Rex*

Rex ( Carolus Hatumaro ) cum attinentijs arcem Iborg, vetustum Saxonum receptaculum : nunc paulisper detorto vocabulo Driborg vocant. Et Hermannus Hamelmannus de antiqua Westphalia ex Peucero refert. Ut Angrivarij à Visurgi ad Luppij usque ripam sederunt, ita Ibburgum, quod nunc Driburgum dicitur, fuit præcipuum propugnaculum ultra Luppiam, quod dedit Carolus M. Paderbornensibus. Etsi igitur Paderbornensis Diœcefis tot monumentis abundans, Ibburgum suum Osnabrugensibus haud invideat ; nihil tamen causæ appetet, cur antiquis literis, & vetustiorum scriptorum testimonijs celebratam Iburi sui, præcipitis loci situ, montis altitudine, & murorum turriūmque, quam ruinæ indicant, firmitate olim munitissimi, & ad omnes belli à Carolo M. gesti rationes accommodati, gloriam Osnabrugensibus cedere debeat, cum illud Ecclesia Paderbornensis à Carolo M. in dotem fundationis acceperit, non exiguum utique munus, sed Episcopatūs dignitati, & Leonis III. Pontif. præsentis commendationi, & regiæ pietati par beneficentiæ monumentum.

3. PRÆSENTIS CAROLI PRECIBVS  
DONATA LEONIS. Gob. Persona. in Cosmодrom. Ætat. 6. cap. 38. pag. 190. Anno Domini 799. Leo Papaz. venit ad Carolum in Paderborne, querens de injusta Romanorum persecutione, quem Carolus honorifice suscepit, & rogavit ut Capellam quandam ibi noviter constructam, cum jam Ecclesiam, quam præsens ibidem erexerat, ipsi rebelles vastaverant igne, dignaretur consecrare. Qui precibus regis gratanter suscepis, in eadem Capella altare in honorem S. Stephani Protomartyris devote consecravit, ac reliquijs ejusdem Martyris, quas secum Roma detulerat, in eodem altari reconditis, visitantibus

O 3

eandem